

gusticas oppressit. Cyprum inde appulsum: circa insulam
cethea hostium tritico plena, ac inde paucis diebus alia
multi precii capta: ex Cypro in Syriam Veneti cursum
tenuerunt. Hic quum Beritano portu sederet, Cretensis
triremis a Principe & Patribus missa cum nunciis de Clo-
dia amissa, deque patriæ obsidione supervenit. Simul igi-
tur jussi in Italiam ad urbem obsidione levandam ire: si-
mulque ex Syria profecti in Rhodum ad com meatum com-
parandum cursum tenere. Nicolaus Zenus, Micheletus
Justinianus, & Joannes Barbus ad expediendum viaticum
tribus longis navibus præmissi, Ligusticam cetheam ea
tempestate nobilissimam cognomine *Pichinionam*, Rhodia-
co portu invenere. Genuensis ratus, quod erat, affuturam
paulo post reliquam classem, nihil Venetis ob navis magni-
tudinem movere ausis, portu egreditur, ac Ioniam versus,
vento leniter spirante, cursum intendit. Sed illi parum
omnino progressu Carolus supervenit: ita forte accidit, ut
tum peregrina quædam cethea in portu esset, & alia ni-
hilo inferior Hispana ad bellum satis instructa: cum his &
cætera classe Zenus hostem ferociter invadit: qui vento-
rum, ut dixi, inopia haud multum a portu aberat. Die
uno ac nocte oppugnatus Ligur, non prius deditionem fe-
cit, quam vela navis flammam contraxere. Ad centum
sexaginta viri negotiatores in ea capti, ac pene totidem
socii navales. Florentini qui negotiorum causa in ea fue-
re, ubi Rhodum ventum est, dimissi sunt, singulisque
centeni aurei nummi pro viatico dati. Ferunt nullo un-
quam tempore majorem ditio remque navem inter Ligusti-
cas fuisse. Compertum est ex ipsis negotiatorum libris,
quingentorum millium aureorum nummum preciosissimam
mercem quæ in ea reperta est, summam explevisse: quæ
ex ipsa navi hastæ subjecere (neque enim omnia subjecta
sunt) octoginta millibus vendita. Translatis in alias naves
rebus, eam Carolus alto mari depreffit: inde in Cretam
Veneta classis transit. Hic, ut annales quidam habent,
ex Marco Mauroceno a Principe & Senatu cum triremi
una misso, de obsidione patriæ cognitum.

Sed